

gnitio: atq; adeo in medico nulla potest esse perfectio sine illa Encyclopadia, quæ homini viam munit ad felicitatem, ut ait Scalig. de re poet. l. 3. c. 16. Unde facile etiam elucet, & summam medicinæ esse difficultatem, & veri medici maximam dignitatem, adeoq; verissimum illud Homeri: *ἰν τῶς ᾧδ ἀνὴρ πῶλλων ἀντάξῃ, ὅ ἀλλων*: neq; sine causa J. C. Scaligerum, allegato loco, descripsisse Medicum, *virum doctum, probum, lenem, diligentem, maturum, fortunatum, De Ofretum, non sua vel scientia vel opera, vel successu tumidum.*

Medicina difficultas & dignitas.

Atq; ex his, quæ hætenus de Fine, Genere, & Subjecto medicinæ dicta sunt, talem medicinæ definitionem constituimus: Medicina est ars sanitatem hominis præsentem conservandi, amissam verò instaurandi.

Medicina definitio.

CAPUT II.

De divisione Medicinæ.

ETS I nonnullis medicina dividatur in partem theoreticam & practicam: tamen illa divisio accurata non videtur: cum hoc modo non dividatur in partes oppositas. Tota enim Medicina est una disciplina, & unus habitus per unum finem, *πρακτικὸς* nimirum aut potius *ποιητικὸς*, ut quæ actionis gratia sit. Disciplinæ verò omnes non ex particularibus rebus, quæ in ijs tractantur, sed à subjecto adæquato & fine, ad quem omnia diriguntur, Theoreticæ vel Practicæ denomi-

An Medicina recte dividatur in partem theoreticam & practicam.

nantur. Ideoq; etsi quædam in Medicina tractentur, quæ ad Theoreticas disciplinas spectare videntur: tamen quia illa omnia non tractantur ob scientiam, sed ad operationem, tanquam communem finem diriguntur; partim quatenus subjectum declarant, partim quatenus finem, qui est sanitas, ipsiq; oppositus morbus, cum suis causis, effectis & signis explicant, merito tota Medicina pro Arte habetur.

Medicina tota est ars.

Quod autem una pars vulgò dicitur Theoretica, altera Practica, hinc fit, quod hæc operationi propior est, & immediate operationem respicit: illa verò ob eadem remotior est. Qua ratione autor libri de partibus Medicinæ c. 7. Medicinam dividit in partes primas & proprias, *ὑγιεινὴν* scilicet & *θεραπευτικὴν*, & alias his superiores.

Cujus etiam ductum sequentes, alijs divisionibus missis, commo-
dissimam esse eam judicamus, quæ medicina in partem *φυσιολογικὴν*, *παθολογικὴν*, *σημειωτικὴν*, *ὑγιεινὴν* & *θεραπευτικὴν* dividitur. Hæc enim & ratione finis, qui est sanitatem præsentem conservare, & amissam restituere, in duas primas & proprias partes *ὑγιεινὴν* scilicet & *θεραπευτικὴν* Medicinam dividit; nec illas superiores, quæ etiam necessariae sunt, omittit.

Medicina distinctio.

Etsi autem hæc divisio usitata sit: tamen cum ab omnibus, causa sat perspicuæ non reddantur, quare in tot, & hoc ordine sese subsequen-